

ducunt majestate sua, nihil est enim beneficentia praestantius; neque non possunt futura praenoscerere. Non igitur sunt dii, nec significant futura. Sunt autem dii: significant ergo. Et non, si significant, nullas vias dant nobis ad significationis scientiam; frustra enim significarent: nec, si dant vias, non est divinatio. Est igitur divinatio.

Div. II. 10. Si provideri nihil potest futurum esse eorum, quae casu fiunt, quia esse certa non possunt: divinatio nulla est. Sin autem idcirco possunt provideri, quia certa sunt et fatalia: rursus divinatio nulla est. Eam enim tu fortuitarum rerum esse dicebas.

Fin. IV. 18. Nunc venio ad illa tua brevia, quae consecraria esse dicebas; et primum illud, quo nihil potest brevius: Bonum omne, laudabile; laudabile autem omne, honestum; igitur omne bonum, honestum. O plumbeum pugionem! Quis enim tibi primum concesserit? quo quidem concessio, nihil opus est secundo. Si enim omne bonum laudabile est, omne honestum est. Quis tibi ergo istud dabit, praeter Pyrrhonem, Aristonem, eorumve similes? quos tu non probas. Aristoteles, Xenocrates, tota illa familia, non dabit; quippe qui valitudinem, vires, divitias, gloriam, multa alia bona esse dicant, laudabilia non dicant. Et hi quidem ita non sola virtute finem honorum contineri putant, ut rebus tamen omnibus virtutem anteponant. Quid censes eos facturos, qui omnino virtutem a bonorum fine segregaverunt, Epicurum, Hieronymum, illos etiam, si qui Carneadeum finem tueri volunt? Jam aut Calliphon, aut Diodorus, quomodo poterunt tibi istud concedere, qui ad honestatem aliud adjungant, quod ex eodem genere non sit? Placet igitur tibi, Cato, quum res sumseris non concessas, ex illis efficere, quod velis. Jam ille sorites, quo genere nihil putatis esse vitiosius: Quod bonum sit, id esse optabile; quod optabile, id esse expetendum; quod expetendum, laudabile; deinde reliqui gradus. Sed ego in hoc resisto. Eodem